

Embedded reading

Virginia

Versio III

Virginius vir Romanus fuit, qui pulchram filiam habebat, nomine Virginiam, quam valde amabat. Ipse quoque a filia sua amabatur.

Olim, dum per vias ambulant, vir malus at dives, nomine Claudius, qui magnam pecuniam multosque servos habebat, eos vidit. Claudius, quamquam dives erat, tamen Virginius invidebat, quod eum laetum esse atque pulchram filiam habere videbat. Qua de causa consilium eam rapiendi excogitavit.

Vocavit igitur servum et „Videsne“ inquit, „Virginiam, pulchram illam virginem?“ Cui servus „Ita, domine,“ inquit, „video: mihi quoque pulcherrima videtur esse.“ Claudius igitur puellam raptam ad se duci iussit, dicens: „Curre, atque puellam raptam ad me statim duc!“

Servus imperata domini statim fecit; puella rapta clamabat et servum orabat, qui tamen eius vocem audire non videbatur. Quamquam multi in via ambulabant, nemo ad iuvandum cucurrit: nam omnes Claudium timebant, cuius saevissimum servum bene noverant: neque quisquam paratus erat ad moriendum pro Virginia.

Patri vero filiam raptam esse nuntiaverunt; qui statim ad Claudium accedens clamavit: „O Claudius, quid est hoc? Quomodo filiam meam rapere ausus es? Nullum enim malum tibi feci, et filia mea virgo proba est. Redde igitur statim eam, si vir es bonus.“

Claudius autem ridens „O Virginius“ inquit, „ipse divitissimus sum, tu autem pauper; ego multos servos habeo, qui me defendere poterunt, si necesse erit, tu vero nullos: stulte senex: te enim contemno, neque clamores tuos curo.“

Quibus superbissimis verbis auditis, Virginius, gladio sub pallio occultato, ad filiam suam accessit, dicens Claudio se ultimum eam complecti velle: gladium vero in corpus eius mersit atque interfecit. Dum igitur puella humi in sanguine suo iacet, „Filia mea“ clamavit Virginius, „numquam ancilla tua erit, quamquam tu multos servos habes, ego nullos!“

Cum primum autem Romani Virginiam mortuam viderunt atque totam rem, ut facta erat, audiverunt, Claudium comprehensum ad mortem mitti iusserunt.